

debeat, et sibi fiat solutio, nulla condempnatione comunis vel alio iure obstante,¹⁾ salvo tamen pensione domorum. ¶ Si vero aliqua persona protestata fuerit ut dictum est super aliqua possessione vendita ad extimariam, quod de tali protestatione non dari debeat petitio aliqua, sed cognoscatur de iure par- 5
cium infra dictum mensem per dominium Tergesti, et pars protestans valeat iuribus suis uti infra dictum mensem, non obstante aliquibus feriis civitatis Tergesti. ¶ Preterea, si qua terra vacua vendita fuerit ad extimariam comunis vel aliquod casale, super qua vel quo edificata fuerit domus vel vinea 10
plantata vel aliud edifitium sive factumen factum de novo, et aliquis conparuerit habens ius ancianum pro debito aliquo contra venditorem, quod habens ius ancianum habeat et habere possit regressum ad precium venditionis ipsius casalis
230 B vel terre vacue // sic vendite tempore prime venditionis tan- 15
tum et non ultra, si talis venditor plura bona non habuerit, ipso emptore regressum habente contra ipsum venditorem de tanto quanto ipsa terra sive casale constiterit. ¶ Si vero aliqua persona receperit aliqua bona mobilia de manu sui debitoris pro aliquo debito, vel quod per dominium data vel concessa esset intromissio vendendi de bonis debitoris mobilibus, quod nulla [persona] possit consequi ius suum contra ipsa bona mobilia pro aliquo iure anciano quod haberet contra ipsa mobilia. Exceptis statutis de pensione domorum; (Salvo) et salvo, si aliquis conparuerit habens ius ancianum ante de- 25
liverationem ipsorum bonorum vel infra tempus ipsius deliverationis, et protestatus fuerit de iure suo, quod ius suum consequi valeat et possit, si quod habet super talibus bonis mobilibus. ¶ Si vero aliquis locaverit alicui aliquam terram ad pastinandum ad medietatem, quod cultor ipsius terre sine 30
aliqua molestia et inquietatione habere debeat partem suam totam, non preiudicando eidem aliquod debitum ancianum sive aliam obligationem apparentem contra²⁾ locatorem tempore locationis predictae. ¶ Insuper volumus quod emptor aliquius possessionis ad extimariam comunis debeat et teneatur 35

¹⁾ obstante - domorum aggiunta marginale.

²⁾ Aggiunta sul rigo.